Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Ecce heretici qui sunt et unde nomina acceperunt Ysidorus viii° libro Ethimologiarum capitulo v° determinat dicens Quidam autem heretici qui de Ecclesia recesserunt ex nomine suorum auctorum nuncupantur quidam vero ex causis quas eligentes instituerunt videlicet

Symoniani a Symone dicti magice discipline erudito cui Petrus in actibus apostolorum maledixit pro eo quod ab apostolis spiritus sancti gratiam pecunia emere voluisset. Hii dicunt creaturam non a deo esse sed a virtute quadam superna creatam

Menandriani a Menandro mago discipulo Symonis nuncupati qui mundum non a deo sed ab angelis factum asseruit

Basilidiani a Basilide appellati qui inter reliquas blasphemias passionem Ihesu abnegabant

Nycolaite dicti a Nycholao dyacono ecclesie Ierosolimorum qui cum Stephano et ceteris constitutus est a Petro qui propter pulchritudinem relinquens uxorem dixit ut qui vellet ea uteretur versa est in stuprum talis consuetudo ut invicem coniugia commutarentur. Quos Iohannes in Apocalipsi sua improbat dicens Sed hoc habes quod odisti facta Nycholaitarum

Gnostici propter excellentiam scientie se ita appellare voluerunt animam naturam dei esse dicunt bonum et malum deum per suos dogmatibus fingunt

Carpocratiani a Carpocrate quodam vocantur qui dixit christum hominem tantum fuisse et de utroque sexu progenitum

Cherinthiani a Cherintho quodam nuncupati. Hii inter cetera circumcisionem observant mille annos post resurrectionem in voluptate carnis futuros predicant unde et greci Chiliaste latine miliaste sunt appellati

Nazarei dicti quod cum christum qui a vico Nazareus appellatus est filium dei confitentur omnia tamen veteris legis custodiunt

Ophyte a colubro nominati sunt. Coluber enim grece ophis dicitur. Colunt enim serpentem dicentes ipsum in paradyso induxisse cognitionem virtutis

Valentiniani a Valentino quodam platonico sectatore vocati qui eonas id est secula quadam in origine dei creatoris induxit. christum quoque de virgine nichil corporis assumpsisse sed per eam quasi per fistulam transisse asserunt

Appellite quorum auctor Appelles princeps fuit qui creatorem angelum nescio quem gloriosum superioris dei faciens deum legis Israhel illum igneum affirmans qui dixit christum non deum in veritate sed hominem in fantasia apparuisse

Archontiani a principibus appellantur qui universitatem quam deus condidit opera esse archangelorum defendunt

Adamiani vocati quod Ade imitentur nuditatem unde et nudi orant et nudi inter se mares feminaeque conveniunt

Chayani propterea sunt appellati quod Chaym adorant

Sethyani nomen acceperunt a filio Ade qui vocatus est Seth dicentes eundem esse christum

Melchisedechiani vocati pro eo quod Melchisedech